

mihi spondeo. Si quæris, quis sim, en Tibi imaginem mei. Ad radices Bructeri et Hercyniæ natus jam a puero rerum et phænomenorum naturalium, in specie quoque botanices, studiosus fieri coepi; neque obiectorum inopia ibi pressus, neque fido duce, quem Poliater agebat, destitutus. Haec puerilia mea elementa augebantur deinde Langii, Profess. Halensis, institutionibus, ad normam systematis Tui traditis, itineribusque et super- et subterraneis, viscerum præcipue Hercyniæ perquisitionibus. Mature vero paullo post tres ultra vicesimum annos natus Petropolin vocor, ad munus Professoris Matheseos practicæ apud academiam scientiarum ibi subeundum, ubi fere in totum totam naturæ familiam, et Plutonem scilicet et Faunam et Floram deserere, dædalicisque potius artibus (est mihi in Societ. Imperial. N. C., ex qua mihi quoque sodalitii Tecum vinculi honos, Dædali III. nomen) operam dare, inque eis omne meum studium collocare cogebat. Quid mirum, si in labyrintho isto dædalico per quinquennium detentum et Dei et Dearum istarum me cepisset oblivio. Non tamen eo usque harum Gratiarum vultus ex pectore meo erant lapsi, quin eas, postquam demum non cerearum sed lintearum alarum ope ex labyrintho isto evolaveram, redamaverim. Iam quidem plus Faunæ entomicæ, quam Florae pulchritudine me captum esse fateor, quippe cuius vivax et mobile temperamentum genio meo jam plus arridet, quam placidæ et mites sororis suæ illecebribæ, quæ me forsitan senescentem magis demum illi infidum reddere valebunt. Ut debo tamen, totam familiam, consangvineo vinculo junctam, colo. Ex quo mihi in Havniensi nostra academia Professoris physices experimentalis munus demandatum fuit, vestigia Tua premens, historiam naturalem, hic plane antehâc incultam, nostratibus familiarem et amicabilem reddere, quantum potui, studui, idque successu non plane frustraneo, subjecta partim ex museolo meo (quod sedes mea hucusque nimium vaga nondum in museum commutari permisit) partim ex iconibus ad vivum pictis demonstrans. Post mineralis regni perlustrationem chemiam, docimaciam et metallurgiam theor. et practice subiungo. Iam de campo meo